



## **Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales**

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Erotemata Ecclesiastica

**Chiericato, Giovanni Maria**

**Augustæ Vindelicorum, 1730**

Cap. CXXII. De Casibus Reservatis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94604](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94604)

valida esset confessio; quamvis sic audiendo confessiones Sacerdos ignorans peccaret. *Coton. ubi ante num. 85. & in meis Decisionibus de Pœnit. Decis. 31. num. 16.*

CAPUT CXXII.

De Casibus reservatis.

1. *Quer.* Qui possint peccata sibi reservare? *Resp.* Papa in toto Orbe; Episcopus in sua Diocesi; & Prælati Regulares, seu alii inferiores in suis subditis. *Coton. ubi supra num. 86. 87. lib. 2. Controv. 7. Ego ipse in Decisionibus de Pœnit. Decis. 44.*

2. *Quer.* An puellæ faculares degentes in Monasteriis subiectis Regularibus, afficiantur reservationibus Episcopi, seu Regularium Prælatorum? *Resp.* Esse hinc inde opiniones. Alii enim volunt, eas subiacere reservationibus Episcopi, quia ipsæ puellæ non sunt exemptæ. Alii è contra, quia locus est exemptus, volunt eas subiacere reservationibus Regularium Prælatorum pro peccatis reservatis commissis, dum morantur in Monasterio illis subiecto. *Diana par. 10. tract. 14. resol. 7. Coton. ibid. num. 88.*

3. *Quer.* An Episcopus possit reservare peccata, absolvenda vel à Decano Capituli, vel ab alio Confessario per eum nominando? *Resp.* Affirmative, ut ex Suarezio, & Cardinali de Lugo tenet *Coton. contra Sotum ubi ante num. 90. 91.*

4. *Quer.* An Papa, vel Episcopus possent reservare sibi absolutionem venialium? *Resp.* De rigore juris posse; sed inutilem evasuram talem reservationem, cum necessariò venialia confiteri non oporteat, sique non expediret venialia reservare, aut peccata mortalia alias confessa. *Diana par. 8. tract. 1. resol. 52. Coton. ubi ante num. 91. 92. 93. Vide d. meam Decis. 44. num. 7.*

5. *Quer.* An reservari possint peccata interna? *Resp.* Negare Bordon. *tom. 1. resol. 37. num. 9.* Sed affirmare *Dian. part. 8. tract. 1. resol. 53.* cui adhæret *Coton. num. 94.* subdens, quòd illa ratio, *Ecclesia non judicat de occultis*, procedit in foro exteriori, & quo ad censuras; secus autem in foro Pœnitentiæ, & interno. Subdit tamen, non expedire talem reservationem, quia si peccator de internis non corrigatur, citò deveniet ad externa, quæ consultiùs possunt sub reservatione restringi. *Ego ipse d. Decis. 44. num. 9.*

6. *Quer.* An quæcunque peccata externa possint reservari, etiam dubia? *Resp.* Affirmative, quo ad validitatem reservationis, negative verò quòd ad rectam methodum reservandi, nam Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. monet, graviora tantum crimina solita esse reservari. *Coton. num. 96. & 97. lib. 2. Controv. 7.*

7. *Quer.* Quot, & qui Casus sint Papæ reservati? *Resp.* Esse Papæ reservatos viginti casus comprehensos in Bulla Cœnæ Domini; & ulterius sequentia. *Primò*, violatio clausuræ Monachorum ad malum finem. *Secundò*, percussio gravis Clericorum. *Tertiò*, simonia realis scienter contracta. *Quartò*,

*Dott. Clericali Tom. II. Lib. VII.*

confidentia beneficalis. *Quintò*, monachia, seu duellum. *Sextò*, extractio reorum ab Ecclesia absque licentiâ Episcopi. *Septimò*, absolutio à reservatis Papæ, seu Episcopo sine debita licentiâ. Et in his omnibus casibus incurritur excommunicatio. *Coton. num. 100. 101. 102. & 103. Vide meam decis. 41. num. 12. de Pœnitentiâ.*

8. *Quer.* Qui, & quot Casus sint reservati Episcopo? *Resp.* Esse valde discordes circa hoc quæsitum Theologos, & Canonistas, ut ex Gloss. in cap. 2. verb. *Reservantur*, de Pœnitent. in 6. & ex Piaficio in *Praxi par. 2. cap. 2. num. 13. & seqq.* Porro præcipui casus sunt sequentes. *Primò*, hi omnes, quos Episcopus in sua Synodali Constitutione, vel Edicto particulari sibi reservat. *Secundò*, percussio levis Clericorum. *cap. Pervenit, 17. de Sentent. excommunic.* Ac etiam gravis, si percussor ob legitimum impedimentum non possit accedere ad Papam, vel ad ejus Legatum. *Barbos de Offic. & Potest. Episcopi, Alleg. 42. num. 7.* *Que* autem sint legitima impedimenta, declarat *Jord. lib. 3. tit. 4. num. 35. & seqq.* *Tertiò*, casus, & censuræ Papales, quando factum, seu delictum est occultum, juxta celebre capitulum Concil. Trident. sess. 24. de *Refor. cap. 6.* (Excepto tamen homicidio voluntario. Item quando delicta prius occulta sunt deducta ad forum contentiosum; Item excepto crimine hæresis; Item exceptis irregularitatibus etiam ex delicto occulto provenientes; & attentato tantum foro conscientie, non autem externo. *Jordan ubi supra num. 90. & exceptis supradictis septem casibus Papæ reservatis post Concilium Tridentinum, cujus decreto Papæ derogavit. Jordan. ibid. num. 92.*) *Quartò*, Excommunicationes majores à Canonibus ipso Jure inflictæ, & nulli reservatæ; nisi consuetudo sit, ut à quolibet Confessario absolvantur. *Jord. d. lib. 3. tit. 4. num. 94. & 95.* *Quintò*, Crimen incendiatorum, qui domos, fruges, aliavè proximi bona, data opera incendunt, quivè mandatum, consilium, vel auxilium ad id præstant. *cap. Si quis, & cap. Pessima, 23. qu. 8.* Quòd tamen procedit, antequam prædicti denuncientur, & publicentur excommunicati; nam facta publicatione, neque Episcopus potest eos amplius absolvere, cùm sint remittendi ad Papam. *cap. Tua, de Sentent. excommunicat.* Et *sextò*, relaxatio juramentorum, nec non dispensatio, seu commutatio votorum. *Jordan, ubi ante num. 101. Et d. mea Decis. 41. num. 13. de Pœnit.*

9. *Quer.* An in reservatione casuum comprehendantur etiam pueri? *Resp.* Affirmative, quando tantam malitiam sunt assecuti, & tantam habilitatem, ut compleant peccata ipsa reservata. *Dian. par. 6. tract. 6. resol. 42. Coton. dist. lib. 2. contrav. 7. num. 107.*

10. *Quer.* An reservatio comprehendat tantum peccata futura, an etiam præterita? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed cum distinctione videtur dicendum, etiam præterita comprehendendi, si reservatio facta sit in remedium præservativum; secus autem, si fuisset facta in pœnam, quia pœna non trahitur ad præterita. *Rota Decis. 818. num. 2. part. 3. divers. Coton. ubi supra num. 109.*

B b

11. *Quer.*

11. *Quer.* An Episcopus possit absolvere à reservatis Papæ impeditos accedere personaliter ad Papam; si possint saltem per Procuratorem, vel per Litteras Papam adire, vel ad Legatum Apostolicum recurrere? *Resp.* Affirmativam opinionem esse probabilem, negativam esse magis tutam. DD. quos pro utraque allegat Coton. *ibid.* à num. 118. & seqq. *dist. lib. 2. contr. 7.* Ego ipse de *Pœnitent. Decis. 45. num. 8.*

12. *Quer.* An quilibet Confessarius possit absolvere à reservatis cum eo, qui ob impedimentum legitimum non potest accedere non solum ad Papam, sed neque ad Episcopum? *Resp.* Affirmativè in uno casu, nempe si urgeret necessitas celebrandi, vel communicandi sub poena infamiae juxta doctrinam Suarez *tom. 4. disp. 30. sect. 3. num. 10.* & Dian. *part. 11. tract. 8. resol. 49.* Quamvis id non admittat Coton. *ubi supra num. 123.* dicens, quod extra articulum, seu periculum mortis, nemo inferior Episcopo potest à reservatis absolvere, & in casu prædicto evitandi infamiam satis esse confiteri non reservata; quia directè absolvi potest à non reservatis, & indirectè à reservatis, donec & quousque possit ea Superiori confiteri juxta per eum tradita *lib. 2. contr. 4. num. 116. & 117.* Vide DD. per me allegatos de *Pœnit. d. Decis. 45. num. 12.*

13. *Quer.* An qui commisit peccatum reservatum Patavii, & accedit ad aliam Civitatem, in qua dictum peccatum non est reservatum, possit ibidem absolvi? *Resp.* Affirmativè, quia Incolæ possunt ibi absolvi, & peregrinantes gaudent privilegio Incolarum, & talis est consuetudo, laudata à Sacra Congregatione anno 1616. Zambel. *Verb. Casus reservati num. 26.* Coton. *dist. lib. 2. contr. 7. num. 135.* & d. mea *Decis. 45. num. 16.*

14. *Quer.* Quid agendum, si Superior neget facultatem absolvendi à reservatis Confessario, vel Pœnitenti poscentibus? *Resp.* In hoc casu quilibet Confessarius poterit pro ea vice Pœnitentem absolvere. Coton. *ubi supra num. 151.* Hoc tamen est intelligendum de Superiori Regulari, ac Confessario, Pœnitentique Regularibus; secus autem de Pœnitentibus sæcularibus, hi enim possunt reperire alios Confessarios, habentes ab Episcopo facultatem absolvendi à reservatis. Et ita decitum fuisse à Sacra Congregatione, fert Nicolius in *Flosculis Verb. Casus reservati, num. 8. in fine.*

15. *Quer.* An, qui petit, & obtinuit licentiam absolvendi à reservatis, pro ea vice, possit absolvere, vel absolvi à reservatis commissis post obtentam licentiam? *Resp.* Esse hinc inde opiniones, sed probabilior videtur affirmativè, nisi tali verborum forma sit licentia concessa, ut ad præterita tantum referatur, nam alioquin petenti videtur licentia concedi, ut accedat ad confessionem, & à reservatis absolvatur. Coton. *ubi supra num. 156.*

16. *Quer.* An licentia à Confessario petita pro reservatis pro aliquo pœnitente, deservire possit pro ipso Confessario? *Resp.* Affirmativè, nisi talibus verbis usus esset, ut se ipsum penitus à licentia exclusisset. Coton. *ubi ante num. 158.*

17. *Quer.* An Superior possit absolvere pœnitentem à reservatis, remittendo postea illum ad Confessarium inferiorem pro non reservatis? *Resp.* Negativè, quia vel debet integram confessionem audire, vel ab initio remittere pœnitentem ad suum Confessarium cum facultate absolvendi à reservatis. Coton. *ibid. num. 26.* ubi tamen notat, quod si forte Superior audiret tantum reservata, & absolveret; pœnitens non teneretur amplius ea confiteri. Porro, etsi antiqui Moralistæ ita docuerint, hodie tamen tenendum, & docendum est, quod nullo modo potest dimidiari confessio: adeo, ut si Pœnitens habeat casus reservatos, Superior debeat vel audire integram ejus confessionem, & absolvere ab omnibus peccatis, vel eum remittere ad inferiorem Confessarium cum facultate pro reservatis, ut doctè probat Eminentiſs. Card. de Lauræa, *De Sacramento Pœnitentie disp. 12. art. 8. per totum.* Et ego dixi d. *Decis. 45. num. 14. de Pœnitentia.*

18. *Quer.* An tollatur reservatio per confessionem reservatorum invalidam, factam Superiori; ita, ut possint absolvi à simplici Confessario? *Resp.* Affirmativè, quia pœnitens, quamvis invalide confessus, satisfecit intentioni Ecclesiæ per confessionem reservatorum factam Superiori. Coton. pluribus citatis *num. 164.*

19. *Quer.* An Pœnitens possit à quocunque absolvi circa reservata, si confessus est Superiori, sed oblitus fuit confiteri reservata? *Resp.* Tuior opinio est negativa, quia non præsumitur Superior voluisse absolvere reservata, de quibus nulla mentio facta est in confessione. Coton. *ubi ante à num. 165. usque in finem d. lib. 2. contr. 7.*

20. *Quer.* An Confessarius possit absolvere non solum à peccatis, sed etiam ab excommunicatione? *Resp.* Affirmativè, dummodo ea non sit alicui Superiori reservata. Coton. *dist. lib. 2. contr. 7. num. 170. 171. & seqq.* ubi notat, reservationem incurri etiam ratione delicti patrati in alterius Territorio: unde Patavinus committens delictum, cui sit inflicta Venetiis excommunicatio reservata; & Patavii non reservata, si delinquit Venetiis, debet absolvi à Patriarcha Venetiarum, non autem ab Episcopo Patavino. Idem Coton *num. 173. & 173.* Quod tamen videtur intelligendum de delicto in foro exteriori, secus autem de culpa quoad conscientiam, ut supra *num. 13.*

21. *Quer.* An simplex Sacerdos, sicut potest absolvere à venialibus, sic valeat absolvere ab excommunicatione minori, lata à jure pro peccato veniali? *Resp.* Affirmativè secundum DD. antiquos, quos citat Diana *part. 5. tract. 9. resol. 3.* Coton. *ubi supra num. 176.* Hodie aliter est dicendum, ut supra *cap. 121. q. 8.*

22. *Quer.* An Episcopus possit ferre excommunicationem, & ejus absolutionem reservare Summo Pontifici, adeo ut ipse neque volens possit amplius ab ea absolvere? *Resp.* Negativè, nisi ipse Summus Pontifex acceptasset dictam reservationem. Coton. *ibidem num. 179.* ubi refutat Navar. contrarium docentem in suis *quæst. forens. part. 1. q. 66.*

23. *Quer.*

23. *Quer.* An excommunicatus si reperitur in articulo mortis, & nullus adsit Sacerdos, possit absolvi ab excommunicatione tum à clerico, tum etiam à laico? *Resp.* Opinionem affirmativam habere multos Auctores antiquos, qui eam probabilem vocant; inter quos *Glossa in cap. A nobis 2. vers. Non potuerit. De Sentent. excommunicationis*, & alii, quos refert *Coton. ubi supra num. 182.* Sed negativam esse veram opinionem, in hoc casu tenendam, demonstrat idemmet *Coton. ibidem ex pluribus rationibus, & præcipue, quia Concil. Trident. sess. 14. cap. 7. ubi refert, solitum fuisse in Ecclesia, ut absolutio detur in periculo mortis de omnibus censuris, & reservatis, dicit, à quocunque Sacerdote; ergo non à simplici clerico, & multò minus à laico. Vide meam Decis. 18. de Pœnit.*

24. *Quer.* In dicto articulo mortis sub qua conditione possit quilibet Sacerdos absolvere à censuris? *Resp.* Sub duplici conditione; una est, ut ipse pœnitens satisfaciatur parti læsæ, quantum potest; altera, ut si convalescat, se sistat coram Superiore, vel habente potestatem absolvendi, non ut amplius absolvatur, sed ut se obediens demonstrat, alias reincidat in censuram. *Coton. ubi ante n. 184.*

25. *Quer.* An Regulares possint absolvere à peccatis, & à censuris reservatis Episcopo, virtute suorum privilegiorum? *Resp.* Negative secundum magis probabilem opinionem, & bonorum Auctorum sententiam. *Coton. ibi num. 185. & 186. Quod latè probavi de Pœnitentia Decis. 46.*

26. *Quer.* Quis possit absolvere ab excommunicatione lata, & incurta ob percussione Clerici? *Resp.* Si percussio sit gravis, & publica, solus Papa, vel ejus Legatus absolvit; si levis sit, vel occulta, ipse Episcopus absolvit, *cap. Pervenit. De Sentent. Excommunic. Diana part. 9. tract. 4. resol. 47.* Et nomine Episcopi venit etiam Prælati inferior habens jurisdictionem quasi Episcopalem cum Territorio proprio, & Capitulum Sede Vacante, *cap. Unico De Major. & Obed. Coton. ubi supra num. 188. 189. ubi advertit, Regulares percutientes esse absolvendos à suo Superiore; & Moniales ab illo Prælati, cui subfunt.*

27. *Quer.* Quid juris, si in uno Monasterio sit tantum Superior, & alter Sacerdos, quem ipse Superior percutiat? *Resp.* Posse eidem Sacerdoti concedere licentiam, ut ipsummet absolvat à censura, & à peccatis. *Diana part. 9. tract. 4. resol. 52.*

28. *Quer.* Quid faciendum, si excommunicatus non potuit absolvi ante mortem, & mortuus sit in excommunicatione? *Resp.* Si dederit moriendo signa contritionis, de quibus unus testis sufficit, est absolvendus post mortem; non quidem à simplici Sacerdote, sed ab eo, qui habet potestatem. *Diana part. 5. tract. 9. resol. 24.*

29. *Quer.* Qui possit absolvere à suspensione, & ab interdicto? *Resp.* Si hæc censuræ latæ sint ab homine, debent absolvere, qui illas inflixerunt. Si à jure, & reservatæ sint; ille absolvit, cui sunt reservatæ; si nulli reserventur, omnis Confessarius absolvere potest. *Coton. ibi num. 200. & num. 201. ubi*

*Doct. Clericali Tom. II. Lib. VII.*

advertit, quòd si pro uno, & eodem delicto duæ latæ sint censuræ, una Papalis, & alia Episcopalis; si delinquens absolvatur à Papali, censetur absolutus etiam ab Episcopali, quia sic usus communis obtinet. *Nald. verb. Episcopus num. 8. & Diana part. 5. tract. 9. resol. 70.*

30. *Quer.* Quid agendum, si quis in periculo mortis constitutus petat confessionem, & nullus alius Sacerdos sit, nisi unus ad Altare celebrans Missam? *Resp.* Tenetur relinquere Sacrificium, etiam post consecrationem; & properare ad audiendam confessionem; quæ, si nimis longa evaderet, & semihoræ spatium excederet, posset illam interrompere, & absolvere, revertendo ad Altare ad completandum Sacrificium. *Diana part. 5. tract. 3. resol. 70. Coton. ubi supra lib. 2. Controv. 7. num. 204.*

31. *Quer.* An absolute, & sub pœna peccati mortalis Confessarius teneatur interrogare pœnitentem de circumstantiis peccati, saltem mutantibus speciem? *Resp.* Rigorose loquendo negative, quia vel pœnitens norit eas circumstantias, & eas explicabit à seipso; vel non norit, & est excusatus, si non explicet; nec Confessarii sunt onerandi cum tanto rigore, cum satis onerosum sit munus, confessiones audiendi in se ipso. *Cotonius allegans Cardin. Pallavicin. sic docentem, ubi ante num. 206. Sed hæc doctrina in praxi non est recipienda, quia Confessarius est præcisè obligatus interrogare Pœnitentem de Circumstantiis, ut scripsi de Pœnitentia Decis. 19. num. 30. & Decis. 36. num. 4. quas studiose legere non prætermittat.*

32. *Quer.* An quando pœnitens tenetur, deferere occasionem peccandi, possit Confessarius illum absolvere, antequam de facto deferat, sub promissione, & spe, quòd sit deserturus? *Resp.* Sancium *Select. disp. 10. num. 4.* docere, quòd sit absolvendus, etiam si millies promississet deferere, & semper defecisset, modo det signa contritionis, & propositi emendandi se. Porro, contraria opinio est tutior, id est, quòd Confessarius non debeat absolvere nisi semel, aut bis; & aliquando etiam neque pro prima vice, nisi ab occasione peccandi discedat; nam experientia docet, sic expedire salutem animarum, quarum medicus est quoque Confessarius, licet principaliter sit Juez. *Diana part. 5. tract. 14. resol. 107. Coton. ubi ante n. 208. Imò hodie est omnino repellendus; nam opinio contraria Sancti est damnata ab Innocentio Papa XI. Propos. 62. quam vide in Cardena in Crisi Dissert. 40.*

33. *Quer.* An permittere possit Confessarius, ut pœnitens, qui concubinam dimisit, saltem ad eam accedat ad visendos filios, quos ex ipsa genuit? *Resp.* Bejam omnino negare tum ob scandalum, tum ob periculum reincidentie in peccatum *part. 1. cas. 14. Sancium verò in Select. disp. 10. num. 9. prorsus affirmare, dicendo, illud esse scandalum passivum, quando constat de emendatione. Porro graviores DD. dicunt, non absque necessitate esse accessum permittendum; & in eo casu, ut pœnitens non accedat solus, sed cum sociis ad evitandum periculum reincidentie. Diana part. 5. tract. 14. resol. 109. At videndus Cardenas d. Diss. 40. qui Sancti*

B b 2

aimis

nimis laxas, & periculosas opiniones jure reprehendit.

34. *Quer.* An Confessarius concubinarius possit suæ concubinæ confessionem audire, & absolvere? *Resp.* Rigorose loquendo affirmativè, nisi obstat aliqua Constitutio Synodalis, aut Metropolitica, prout Mediolani obstat aliàs legi; & nisi periculum sit, ut deficiat dolor, & propositum emendandi; quare talis confessio esset satis ambigua, maximè si fieret absque necessitate. Sancius *disp.* 11. num. 16. Diana *dist. part.* 5. *tract.* 14. *resol.* 10. Coton. *ubi ante num.* 211. Illustrissimus, & Reverendiss. D. meus Episcopus Vallaresius in sua Synodo hunc casum fecit sibi reservatum.

35. *Quer.* An liceat Confessario interrogare Pœnitentem de complice, vel alio peccatore? *Resp.* Communis sententia est negativa. Diana *part.* 3. *tract.* 2. *resol.* 42. in fine. Coton. *ibidem num.* 212. qui tamen concedit, indirectè posse interrogare, ut scilicet veniat in cognitionem speciei peccati, & circumstantiæ necessariæ; imò potest expresse cogere ad manifestandum, si casus talis sit, ut debeat publicè denunciari, qualis est sollicitatio ad turpia in confessione. At de complice per Pœnitentem Confessario non manifestando dixi *de Pœnitentia decis.* 23. num. 14.

36. *Quer.* Si pœnitens incidenter manifestasset complicem, & hic eidem Confessario confitens taceret illud peccatum, an posset, & debeat absolvere? *Resp.* Affirmativè, quia standum est ipsi confitenti. Tolet. *lib.* 3. *cap.* 16. num. 4. & reputandum est, quod potuit oblivisci, vel aliqua iusta causa excusari ab illo manifestando. Dian. *part.* 3. *tract.* 4. *resol.* 105. Coton. *ubi supra num.* 213.

37. *Quer.* Quas poenas incurrat inferior Sacerdos absolvens à reservatis? *Resp.* Si absolvat à casibus contentis in Bulla Cœnæ Domini, incurere excommunicationem; quod procedit, si præsumat, absolvere vel prætextu Privilegiorum, vel ex contemptu; secus si ex ignorantia, vel ex inconsideratione. Coton. *ibidem num.* 220. ubi notat, dictam excommunicationem nulli esse reservatam.

38. *Quer.* An Confessarius teneatur sequi opinionem Pœnitentis probabilem contra suam opinionem probabiliorē? *Resp.* Esse hinc inde Auctores. Sed placet distinctio ista: Aut opinio concernit profectum spirituales pœnitentis, & si in illa inhæreat, potest Confessarius ei consentire. Aut respicit validitatem, vel essentiam Sacramenti, & in hoc casu Confessarius debet suam opinionem prosequi. Coton. *ubi supra num.* 222. *Controv.* 7. *lib.* 2. Vide quæ docui *de Pœnit. Decis.* 36. num. 11.

39. *Quer.* An possit Confessarius absolvere reum convictum, & damnatum de aliquo crimine, quod non vult confiteri in foro exteriori, sed confitetur ipsum in foro Sacramentali? *Resp.* Alii asserunt; alii negant. Est magis probabile, quod possit, puta in executione sententiæ, licet videatur iudex injustè procedere, & testes falsos esse; nihilominus communis existimatio habet, reos negare delicta quamvis vera, & ideo in conscien-

tia poterit Confessarius eum absolvere nulla imposita obligatione, delictum publicè confitendi, etiam si esset hæresis, ad effugendam nimiam infamiam. Diana *Coordin. tom.* 5. *tract.* 8. *resol.* 33. §. 5.

40. *Quer.* Quot, & quales defectus potest committere Confessarius in Confessione, ad quos supplendos teneatur? *Resp.* Tria genera defectuum potest committere ipse confessarius, quos quidem supplere obligatus est. *Primo*, si omisit interrogare aliquam circumstantiam necessariam, vel numerum. *Secundo*, si absolvit invalidè ex defectu jurisdictionis. *Tertio*, si aliquid dixit, vel dicere omisit, ex quo damnum ipsi pœnitenti, vel tertio resultavit. Card. de Lugo *de Pœnit. disp.* 22. *sect.* 3. Coton. *d. lib.* 2. *Controv.* 7. num. 225.

41. *Quer.* Quomodo Confessarius debeat supplere in primo casu? *Resp.* Si non interrogavit ex mera omissione, inadvertentia, aut ignorantia, communis est opinio, quòd ad nihil teneatur confessarius, quia sperandum est, quòd de cætero pœnitens ab alio magis docto instruat; & tantummodo debet eundem pœnitentem monere de omissa interrogatione, si ad novam confessionem faciendam ad eum revertatur. Si verò omisisset interrogare, docendo non esse necessariam confessionem numeri, vel circumstantias peccatorum, tenetur pœnitentem requirere, & de errore monere; & in utroque casu de sua culpa debet ipse confessarius pœnitere. Joan. Pontius *disp.* 46. *quest.* 11. num. 150. Diana *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 9.

42. *Quer.* Si Confessarius invalidè absolvisset ex defectu jurisdictionis, quid agendum? *Resp.* Si pœnitens unà cum peccato reservato confessus est etiam alia peccata, in hoc casu confessarius nihil tenetur supplere, quia indirectè pœnitens fuit absolutus etiam à reservato, cum sit in bona fide. Si verò solum reservatum confessus foret, aliqui dicunt, etiam in hoc casu, stante bona fide pœnitentis, non esse opus supplemento. Jo. Pontius *ubi supra num.* 149. Sed communior opinio est, teneri confessarium petere facultatem à Superiore absolvendi à reservato, & inducere pœnitentem ad novam confessionem, eumque monitum de invaliditate præteritæ absolutionis, iterum absolvere. Diana *part.* 2. *tract.* 15. *resol.* 60. Et novissime *part.* 11. *tract.* 4. *resol.* 9. Coton. *ubi ante num.* 228.

43. *Quer.* Quid supplendum, si pœnitens erat obligandus ad restitutionem, & Confessarius eum non obligavit; unde factus est impotens cum damno creditoris? *Resp.* Si confessarius positivè docuit, non teneri ad restitutionem, debet confessarius eundem pœnitentem monere, ut restituat, & si interim bonis decoxerit, debet de suo facere restitutionem. DD. apud Dianam *part.* 2. *tract.* 16. *resol.* 1. Si verò ex omissione, vel ex ignorantia non monuit, ad nihilum confessarius tenetur, ut contra docentes contrarium tenet Bonacin. *de Restit. disp.* 1. *quest.* 2. *punct.* 11. num. 12. Quia obligatio confessarii non est erga tertium, sed solum erga pœnitentem. Sed de hoc vide scripta per me *de Pœnitentia Decis.* 36. num. 10.

44. *Quer.*

44. *Quer.* An circa absolutionem à referatis extent aliquæ Propositiones damnatæ? *Resp.* Esse duas damnatas ab Alexand. VII. anno 1665. id est. la 3. Quæ aiebat: *Sententia asserens. Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem Hæresis, & aliorum criminum, quando publica sunt &c. tolerata est. Nec non la 4. quæ asserbat: Prælati Regulares possunt in foro conscientie absolvere quoscunque saculares ab hæresi occulta, & ab excommunicatione propter eam incursum.* Ex quibus deducitur, quòd hodie nullus Prælatum, vel Confessarium potest absolvere à Casibus reservatis in Bulla Cœnæ Domini, etsi occultis, neque à Duello, Simonia, Violata clausura Monialium ad malum finem, neque à violata Immunitate Ecclesiastica, quamvis occultè parrata: neque à reservatis per Episcopum, ut probavi de Pœnitentia Decis. 46. num. 17.

# CAPUT CXXIII.

## De Absolutione Sacramentali.

1. *Quer.* Quid sit absolutio Sacramentalis? *Resp.* Quòd est actus judicialis, quo Sacerdos absolvit pœnitentem à peccatis, de quibus est ritè confessus. Concil. Trident. de Sacram. Pœnit. sess. 14. cap. 6.

2. *Quer.* Quænam sit forma Sacramenti Pœnitentiæ? *Resp.* Est absolutio, quam dat Sacerdos per illa verba: *Ego absolvo te à peccatis tuis &c.* Scot. in 4. dist. 14. lit. A & Coton. d. lib. 2. de Sacramentis Controv. 8. in princ.

3. *Quer.* An Absolutio possit dari non verbis, sed nutu, vel scriptura? *Resp.* Negativè, quia ex doctrina Conciliorum habemus, formam hujus Sacramenti consistere in verbis Sacerdotis absolventis; sicut forma aliorum Sacramentorum stat in verbis ministrantium. Coton. d. Controv. 8. num. 1. Ego ipse de Pœnitentia Decis. 15. num. 35. & plenius in Decis. 35. per totam.

4. *Quer.* Quid dicendum, si quis petat confessionem in articulo mortis, & ibi non adsit, nisi Sacerdos mutus; an talis Sacerdos audiens peccata, possit absolvere nutibus, vel scribendo in pagina: *Ego te absolvo?* *Resp.* Doctores in hoc casu timide consentire, ut sic data absolutio sit forma valida Sacramenti; nam certum est, eam consistere in verbis. Porro stante casu extremæ necessitatis, docent melius esse, ut sic mutus Sacerdos absolvat, quam ut se omnino retrahat; nam sicut moribundus, qui supponitur dolere de peccatis, potest absolvi, quamvis signa expressa non dederit, sic videtur non reprobanda talis absolutio. Diana part. II. tract. 6. resol. 14. Coton. ubi supra num. 2. & 3.

5. *Quer.* An forma Absolutionis consistat in omnibus illis verbis in Rituali Romano annotatis, nempe, *Misereatur &c. Indulgentiam &c. Dominus Noster Jesus Christus &c. Passio Domini Nostri &c.* Vel tantummodò in illis verbis: *Ego te absolvo à peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen?* *Resp.* Quamvis antiqui Doctores dixerint, tota illa verba Ritualis Romani esse de forma, certum est apud modernos, ea non esse de forma, quia hæc reducitur tantummodò ad hæc ver-

ba; *Ego absolvo te à peccatis tuis in nomine Patris & Filii & Spiritus Sancti. Amen.* Imò plures Doctores tenent, non esse necessarium dicere: *In Nomine Patris &c.* Quia Christus Dominus tradendo facultatem Apostolis absolventi ea non dixit, prout illa dixit, quando baptismum instituit. Hinc etiam sufficere pro forma, si Sacerdos dicat: *Ego te absolvo*, nonnulli sustinent, quamvis alii subdant, esse addendum: *A peccatis tuis*, ad validitatem formæ. DD. apud Cardin. de Lugo de Pœnitent. disp. 13. num. 17. & Diana part. II. tract. 6. resol. 11. & Coton. ubi supra à num. 5. & seqq. usque ad num. 10. observans, verba à peccatis tuis esse exprimenda, tum ad distinctionem censurarum, tum quia Dominus Noster dixit Apostolis: *Quorum remisistis peccata, remittuntur eis.* Vide dicta in dict. mea Decis. de Pœnitent.

6. *Quer.* An valida sit absolutio Sacramentalis, si detur aliis verbis, quam prædictis: *Ego absolvo te à peccatis tuis?* *Resp.* Affirmativè, si verba sint talia, quæ habeant eundem sensum; Unde validè absolveret, qui diceret: *Ego tibi remitto, vel condono peccata tua.* Vel: *Tibi à me remittuntur, seu condonantur tua peccata.* Vel: *Volo, ut absolvaris à tuis peccatis; Jubeo, dicovè, te à peccatis absolutum.* Scot. in 4. dist. 14. quest. 4. Coton. ubi supra num. 13. & 14.

7. *Quer.* An validè absolveret Sacerdos, qui in plurali loquendo diceret: *Nos absolvimus te à peccatis tuis &c.*? *Resp.* Vel sic diceret causa dignitatis, ut si sit Prælatum, & validè absolveret: vel ad denotandum, quòd plures sint, qui dictam absolutionem tribuant; & tunc nulla esset absolutio, quia immutatur sensus, & intentio Ecclesiæ. Dian. part. II. tract. 6. resol. 13. Coton. ubi ante num. 15.

8. *Quer.* Si quis confiteretur peccata sua coram duobus, vel tribus Sacerdotibus uno, & eodem tempore, an ipsi omnes simul possent dictum pœnitentem absolvere? *Resp.* Affirmativè, supposita recta intentione absolventi tanquam ministri Ecclesiæ; quòd si unus citius alteris absolutionem proferret, hic primus directè à peccatis absolveret, alii verò indirectè, quia peccata etiam aliàs confessi, & absoluta sunt materia sufficiens absolutionis. Coton. ubi supra num. 16. 17. & 18. ubi notat, quòd si dicti Sacerdotes simul absolvant, tanquam unicum judicium facientes, unum Sacramentum omnes simul conficerent; si verò tanquam singuli, & tanquam diversas confessiones audientes, plura Sacramenta constituerent, ex Card. de Lugo & Diana part. II. tract. 8. resol. 46.

9. *Quer.* An valeat Absolutio, si illam Confessarius proferat verbis deprecativis; ut *Absolvat te Deus.* Vel: *Oro Deum, ut te absolvat, & absolutum habeat:* vel similibus? *Resp.* Negativè ob illam doctrinam Scoti in q. 4. supra citat. ab omnibus Theologis, & Canonistis receptam, quòd scilicet Sacramentum Pœnitentiæ institutum est per modum judicii, unde sententia non est proferenda deprecando, sed jubendo, absolvendo, & mandando; nam Christus Dominus non dixit, pro quorum peccatis oraveritis, remittentur; sed quorum peccata dimiseritis, dimittentur eis. Diana